

X 186 23 16

II i
172

Q. D. B. V.

DE

FICTA HEBRÆORUM

ANTE R. SAULEM

MONARCHIA

CIVILI,

DISSERTATIO HISTORICO-POLITICA

CL. ADRIANO HOUTUYN

JCTO BATAVO

opposita,

&

Moderante,

L. ADAMO Rechenberg/

Utriusq; Lingvæ & Historiar. P. P. Maj. Principp. Colleg.

Collegiato & h. t. Præposito,

In

ACADEMIA LIPSIENSI

XXIIX. Sept. M. DC. LXXXVII.

H. L. Q. C.

P. P.

à

PHILIPPO JACOBO REHMIO, Argentoratenli

LL. Cult.



LIPSIÆ,

Typis CHRISTOPHORI FLEISCHERI.



FICTA HEBRAEORUM
ANTE R. SAULAM

MONARCHIA
CIVILIS

DISTRICTIO HISTORICO-POLITICA
GEORGIANO-HOENTH...

I. ADAMO RECHENBERGER

Principis & Historiarum P. M. Principis Collegii
Collegio & h. r. P. P. P. P. P.

ACADEMIA LIBERARUM
M. D. C. LXXII

PHILIPPO JACOBO REIMIO Argentoratensi

L. P. S. E.

CHRISTOPHUS RECHENBERGER





BREVIARIUM DISSERTATIONIS.

1. *Occasio & argumentum dissertationis.*
2. *Monarchiae definitio & divisio.*
3. *In monarchia seu regno despotico, vitia hominum, & status distinguenda.*
4. *Partes, seu jura summi imperii cognoscenda prius, quam statuatur de forma ejus:*
5. *Illae recensentur.*
6. *In Monarchia, omnia penes unum, qui civitatem habet, esse oportet.*
7. *Thesis transfertur ad hypothesin praesentem.*
8. *an Abrahami tempore monarchia in gente Ebraea?*
9. *negatur, & primum Houtuyni argumentum pro illa solvitur.*
10. *Secundum ejus argumentum proponitur.*
11. *Quod discutitur, addita declaratione historiae.*
12. *Confirmatur ulterius, quod Abrahamus nullum habuerit regnum.*
13. *Idem de Isaaco & Jacobo affirmatur.*
14. *Transitur ad historiam Mosis, cui Houtuynus regnum tribuit.*
15. *argumenta pro illo asserendo, tria asseruntur.*
16. *Primum a submissione populi Ebraei petitum discutitur.*
17. *Secundum a Regis titulo desumptum declaratur, & 18. confirmatur, Mosem regia pompa & statu non usum esse:*
19. *Theocraticum Mosis imperium fuisse probatur.*
20. *Causa & utilitas Theocratiae.*
21. *Tertium argumentum Houtuyni pro monarchia civili Mosaica:*
22. *Resolvitur partitim secundum jura majestatis, & negatur (α) potestatem legislativam fuisse penes Mosem:*
23. *(β) id. Jus circa sacra:*
24. *(γ) Jus instituendorum magistratuum:*
25. *(δ) Jus belli & pacis,*
26. *& (ε) Jus mittendi legatos.*
27. *ex negatione jurium Maj. concluditur, Mosem non fuisse proprie Regem.*
28. *Fit transitio ad historiam Josuae, cui itidem regia majestas denegatur;*
29. *Denegatur etiam Eleasaro, contra Hobbium.*
30. *Status reipubl. ante Othnielem, & ipsius tempore non fuit monarchicus:*
31. *Menochii sententia, de statu judicum tempore, examinatur & rejicitur, item*
32. *Sigonii de statu aristocratico, &*
33. *aliorum, qui democraticum statuunt.*
34. *Repetitur sententia de Theocratia & illustratur.*
35. *Mutatio hujus status attingitur cum elogio autorum, & voto, quo finitur dissertatio.*

Et si



§. 1.



Tsi post diluuium illud universale, cum mortales in magnam jam excrevis-
 sent multitudinem, regium primo in-
 ualisset imperium; dum Gen. X. 10. Nim-
 rodus, quem profani Scriptores Belum
 vocant, regnum Babylonix & Assyriorum
 condidit, & *Justino libr. 1. Histor. c. 1. memorante,*
principio rerum, gentium nationumque imperium penes
Reges fuit; Tamen in gente Ebræa, anteqvam Saulus,
 divino auspicio, regno admoveretur, *MONARCHIAM*
CIVILEM (ut apud alios populos) extitisse, nemo, quod
 sciam, historiæ civilisqve doctrinæ peritus olim asseruit,
 aut etiam confirmatum iuit. Nuper demum inventus
 est Ictus quidam Batavus, *Adrianus Houtuyn, vir claris-*
simus: qui, ut amat in civili doctrina paradoxas defen-
 dere sententias, ante annum & quod excurrit, *LIBEL-*
LUM edidit, de *MONARCHIA HEBRÆORUM,* quæ
 ipsi est, *de Imperio monarchico in populum Hebræum, proba-*
tio ab Abrabamo ad dispersam gentem. In hunc cum nu-
 per indicio Domini Præsidis studiorum meorum incide-
 rem; placuit viri hujus eruditi novam eamqve parado-
 xam sententiam, ex historiæ & politicæ doctrinæ colla-
 tione, modeste discutere, ac demonstrare, *ante Saulis*
regnum, apud Ebræos, VERAM NON EXTITISSE MO-
NARCHIAM CIVILEM, SED IMPERIUM MAGIS
FUISSE THEOCRATICUM.

§. 2.

Quod, ne confuso vocabulorum in hac materia
 usitatorum significatu, aut turbato rerum sensu fiat, ex
 civilis disciplinæ fontibus repetendum est, quæ forma
 civitatis vocetur *MONARCHICA.* Illa nempe, in qua
 sum-

summum imperium est penes unum, sive is Regis, sive Principis, sive Domini etiam nomine appelletur. Aristot. I. Rhet. 8. & III. Polit. 7. Nam si Taciti vestigia hic legere velimus, monarchia vel regni duo quasi genera sunt. Unum est despoticum seu dominatus; ea scilicet regni species, ubi unus aliquis cum pleno jure successionis in familia summum imperium obtinet, idque ex usu & commodo suae domus liberrime administrat. Quod Tacitus XII. Ann. 11. dominationem vocat. Alterum Principatus, vel civile, ubi unus quidem imperat; sed cum quadam libertatis umbra, & temperamento moris legisque, respiciendo magis commune civitatis bonum, quam utilitatem domus suae. Quia populus, cui praest, forte nec totam servitutem, nec totam libertatem ferre potest. Tacit. I. H. 16. confer Aristotelem III. Polit. 7. & IV. 10. nec non de Morib. VIII. 13.

§. 3.

Despoticum seu herile, (aut si corruptam monarchiam appellare placet) displicet populo, & tyrannis vocatur: nec tamen ideo monarchiae nomen amittit; cum a principatu seu regno civili non magis differat, quam sanum aliquod corpus, a morbido & male affecto. Quamquam hic saepe etiam vitia hominum in monarchia, a vitiis status, non ut par est, recte discernuntur. Nam B. Baeclero observante dissert. polit. XVI. nemo tyrannidem aestimare potest, nisi qui jura cujusque statu ex parte imperantium & parentium accurate cognoverit. Etenim in regno vitium hominum est, si quem fors nascendi, aut infelicia civium suffragia solio admoverunt, regnandi artibus destituitur, nullaque aut exigua reipublicae cura tangitur, eamque pravorum ministrorum ambitioni aut avaritiae lacerandam prostituit; vel si saevitia aut ira-

A 3

cundia

cundia idem est terribilis, nec hominem se, nec hominibus præesse meminit. v. *Aristotel. Polit. V. 11. & Dn. Pufendorffij Lib. VII. de J. N. & G. c. V. §. 10.* compendium ejusmodi artium tyrannicarum, ex *Taciti* libris sex prioribus *Annalium* contexit *Bæclerus Dissert. Polit. XVI.* Status contra vitia laudato *Pufendorffio* describente, in univèrsum sunt, ubi *leges & instituta civitatis non sunt attemperata ad genium populi aut regionis; aut ubi eadem cives disponunt ad turbas internas, aut ad justa vicinorum odia incurrenda; ubi eosdem ineptos reddunt ad obeundas functiones, quæ reipublicæ servandæ sunt necessaria: puta si per leges civitatis non possunt non in imbellem segnitiam resolvi, aut in idonei ad ferendam pacem reddi; aut denique ubi in principalia veræ doctrinæ civilis scita impingunt: quæ tanto perniciosiora sunt, si religionis speciem inducunt.* Qualis erat sacerdotum autoritas apud *Merœenses*, quorum libidini etiam regum vita erat obnoxia. v. *Diodor. Sicul. l. III, c. 6. & Strabon. L. XVII.*

§. 4.

Allato jam discrimine, quod inter *monarchiam rectam & corruptam*, vel inter *regnum civile & herile* intercedit, opus est, ut partes summi imperii recenseamus: quo deinde rectius judicari possit, an illas, ante *Saulem* *Israelitarum* regem, in gente *Ebræa*, quisquam obtinuerit. Nam si probaverimus, summam imperii jura seu partes, penes unum & quidem *αὐτοκράτορα* non fuisse, nec ab uno *αὐτοκρατορῆας*, libere pro nutu & arbitrio suo usurpata esse, priusquam *Saul* populo præficeretur; sententia illa mustea & nova *Cl. Houtuyni* corruet. Constabit enim nec *rectam*, nec *corruptam*, ante *Saulis* tempora, fuisse apud *Israelitas* *monarchiam civilem*.

§. 5.

§. 5.

Partes autem *summi imperii*, quæ *jura majestatis* alioqui dicuntur, sunt (1) *leges ferre*, cum circa res civiles vel profanas, tum circa sacras, quod quidem externa religionis attinet: (2) *Judicia instituere & exercere jurisdictionem*: (3) *Magistratus constituere*. (4) *Jus seu potestas belli & pacis*: (5) *Jus legatum mittendi, & foederum faciendorum*, quippe quorum gratia præcipue legati mitti solent: (6) *Jus tributa & vectigalia indicendi & exigendi, & (7) dominium eminens*. Quæ ab aliquibus præterea vocantur *majestatis jura*, ut *monetæ, ponderum, mensuræ, viarum, fluminum, metallorum, venationis & similia*, illa, inquam, omnia ad potestatem legislativam spectant, nec a veteribus seorsim considerata sunt. Nam quæ in his rebus fieri volunt imperantes, legibus determinare solent, adeoque sub potestate legislativa illa comprehendi, manifestum est.

§. 6.

Majestas, seu *imperium* sic cum partibus suis consideratum, requirit non solum unam personam, cui insit; sed & civitatem, in qua exerceatur; cum *Aristotele III. Polit. 6.* brevissime definiente, *sit summa in civitate ubique potestas*. Sed civitas absque populo, qui juris fruendi causa communi imperio sociatus sit, intelligi nequit. Imo populus sine territorio & possessionibus, non potest proprie regnum constituere. Quare, ut *Monarchia civilis* proprie sic dicta emergat, oportet regem cum Imperio (seu civile seu herile sit,) habere populum cum territorio sibi subjectum, quem regat & tueatur.

§. 7. Con-

§. 7.

Constitutis sic partitim iis, quæ Monarchiam proprie faciunt, in rem præsentem veniendum est, ac videndum porro; an ex S. historia constet, inde ab Abrahami tempore, populum Hebræum monarchico imperio fuisse gubernatum. Affirmat hoc laudatus modo Jctus, sed si argumentorum pondera, quibus utitur adstruendæ novæ sententiæ, examines, levia illa esse adparebit.

§. 8.

Initium is *Monarchia Hebræorum* lib. cit. cap. I. ab Abrahamo arcessit: Cui & principatum & Regis titulum tribuit; nixus partim sacro, partim profanorum scriptorum testimoniis. Nam *Genes. XXIII. 6.* Hæitorum filii, Abrahamum principem Dei salutarunt. *Philo* principem universi Judæorum generis, *in vita Mosis lib. 1. initio* dixit: *Justinus* post Damascum, Abrahamum & Mosen inter reges Israël, *lib. XXXVI.* retulit. Hinc colligit Abrahamum tenuisse regnum, statumque populi Hebræi fuisse monarchicum.

§. 9.

Enimvero fallitur *Houtuyms noster* titulo Principis, qui in sacris literis, eminentioribus etiam in populo viris tribui solet, *Genes. XVII. 20.* quos tamen reges proprie dictos fuisse, nemo dixerit. *Hugo Grotius*, cujus auctoritatem pro regio titulo allegat hic, Abrahamum proprie regia dignitate eminuisse, non affirmavit; sed tantum recitavit: etsi nulli subditum, ac sui juris fuisse asserit. Notum enim est Patriarcharum ævo, patres-familias, qui segreges adhuc degebant cum familiis suis, non habuisse superiores, quibus parere tenerentur, eoque imperio civili exemptos quidem, sed non Reges fuisse.

fuisse. *Nicolai Damasceni* testimonium, cui *Abrahamus βασιλεύσας* dicitur: & *Justini L. XXXVI. c. 2.* qui regem diserte appellat, contra *S.* historiae fidem, admitti nequit. Nisi & fabulas de *Mose*, quem *Josephi* filium nominat, & gente *Israëlitarum*, quam ibidem propter scabiem & vitiliginem *Aegypto* pulsam ait, vero congruere quis affirmare velit.

§. 10.

Sed *Houtuynus* noster, ex tribus imperii partibus, vel juribus præcipuis, nempe potestate legislativa, jure belli gerendi & foederis pangendi, *Abrahamum* regiam & monarchicam potestatem habuisse, adstruere pergit. Ita enim verba ejus habent: *Præcipiendi jus familiae suæ Deus illi confirmat. Scio enim quod præcepturus sit filiis suis, & domui suæ post se, Genes. XVIII. 19.* Quæ præcepti vox & legislativam & interpretanda legis naturalis significationem habet. Imperii jus & exigenda obedientiæ, generatio ei tribuit: in servos jus ex consensu fuit; Exercitum adversus reges quatuor eduxit, *Genes. XIV.* Et in foedere cum *Eschol, Aner & Mambre* fuit, *Genes. cap. XIV. v. 13.* Sic jura principatus in familia exercuit. Territorium non habuisse, cum quod peregrinatus & hospitatus in alieno dicitur, tum facta ei terræ promissio probat. *Gen. XI. 31. c. XII. XX. 2. XXI. 34. XXIII. 4. XXVI. 1.* & alibi: Princeps igitur in familia sua: subjectus quod in alieno consisteret. Idem de *Isaaci & Jacobi* jure & peregrinatione sit judicium, *Genes. XXVI. per tot. Genes. XXVIII. 2. 10. 13. XXIX. 1. XXXI. 13. 18. c. XXXIII. 18. XXXIV. seqq.*

§. 12.

Si quis novum hoc, pro monarchia *Abrahami* adstruenda, perpendit argumentum, & quam inde deducit assertionem vel sententiam, oppido liqvet, *Houtuynum*

B

vel



vel ludere in vocabulo principis & monarchiæ, vel oblitum esse inscriptionis, qua argumentum libri insignivit. Nam probandum fuerat, Abrahamum tenuisse regnum civile & ejus jura exercuisse. At vero is, hic tantum in familia sua principem egisse Abrahamum, evincit, qualem quemvis in domo sua patrem familias esse, etiam Aristoteles admiserit. Deinde quod de tribus summæ potestatis juribus attulit, fateor simulacra jurium imperii esse, quæ patri familias in domo competunt; quippe, qui & ipse in illa caput, Regis instar est. Hinc Aristoteles de Morib. VIII. 12. ἡ μὲν γὰρ πατρὸς πρὸς υἱῶν κοινωνία βασιλείας ἔχει χάρισμα. *Patris enim erga filios societas, figuram regni habet: τὸ τέκνον γὰρ τῷ πατρὶ μέλη. ἐν τούτῳ δὲ καὶ Ὅμηρος τὸ Δία πατέρα προσαγορεύει. πατρικὴ γὰρ δεξιὴ βάλει ἡ βασιλεία εἶναι.* *Homeri versus, quem respicit, Odyss. a. legitur:*

Ἄνθρωπε ἐγὼν οἴκοιο ἀναξ ἔσομαι ἡμετέρῳ,
καὶ δμῶων

i. e. *Ceterum ego domus rex ero nostræ, & famulorum.* Sed quis hinc regiam colliget majestatem? Præcepta ejus domui suæ tradita, Catechetica fuisse *D. Hornbeckius in Miscell. Sacr. c. XII.* affirmat. Nimis enim profanam mentem olere videtur, illa præcepta, de legibus naturalibus tantum exponere velle; cum Abrahamum Deo familiarem fuisse, atque ex revelatione divina cultus sibi placentis præcepta hausisse, historia prodat. De cætero jus imperii paterni, quod habuit, generatione potissimum niti, non negamus. Aliter tamen de fundamento juris regii in cives proprie dictos sentiendum. Bellum quod in libertate naturali constitutus princeps Patriarcharum gessit, non fuisse proprie majestaticum, ex defectu majestatis & regni proprie sic dicti civilis constare potest. Nam vim
hosti-

hostilem armata etiam manu amoliri, cuius patrifamilias potestati civili non subiecto licet. Hinc exorto bello, quod quatuor foederati reges contra quinque Pentapoleos reges susceperunt; eo quod ab imperio Codorlaomor defecerant; causam habuit Abramus iustam illi sese immiscendi. Nam cum eventus primum pro quatuor regibus fuisset, devastatis circumcirca regionibus finitimis, mox acie fuderunt reges quinque civitatum, Sodomæ, Gomorrhæ, Adamæ, Seboim Balæ sive Segor; Gomorrhæque ac Sodomam ceperunt, abducta ingenti præda, multisque captis; inter quos fuit etiam Lothus cum omni familia; vindicandum hostem censuit Abrahamus. *Confer Saliani Annal. tom. 1. f. 221. seq. & Josephum 1. Antiq. 10.* Hujus enim rei ad ipsum allato nuntio per aliquem, qui ex clade evaserat, ipse Lothum agnatum suum & vicinos è manu hostium vindicaturus, partim domesticas copias CCCXVIII. vernas armavit, partim socios sibi adjunxit, quos habebat foederatos in vicinia Mambre, Escol & Aner, profectusque ad prosequendos victores, quinta nocte, ut Josephus habet, eos affecutus circa Danum, divisis copiis, ancipite acie oppressit incautos, ipsoque noctis terrore undique præpeditos profligavit, victoria insigni potitus. Magna igitur strage edita, reduxit omnem prædam & captivos cum Lotho & familia ejus, cujus partem foederatis debitam lubens restituit, juramento interposito, nolle se prædadari, quæ primum iustis possessoribus ablata fuisset. *v. Joseph. L. I. Antiq. 11.* Nam iniqum censebat foederatorum sibi vicinorum, apud quos habitabat, res iusto bello recuperatas retinere. Fœdus enim hoc vicinorum patrumfamilias conjunctione constans, haut dubie propter defensionem mutuam fuerat initum. Quare, ut illius conditionibus satisfaceret, Abramus mature arma expedivit.

Quod cuius patrifamilias in statu naturali viventi facere
licebit.

§. 12.

Abrahamum victorem proprium non habuisse terri-
torium, sed inter peregrinos egisse eosque sibi, ut tutior
ab invasione hostium foret, foedere junxisse, fatetur *Hou-
tuynus*. Quid ergo Regem facit, qui princeps tantum in
familia sua, & subjectus, quod in alieno consisteret, fuit?
An princeps aliquis aut rex sine territorio & regno, jura
summi imperii civilis exercere, propriumque regis titu-
lum tueri potest? Non putarim: nisi patresfamilias ante
constitutas civitates, omnes reges fuisse, contra civilis
doctrinae scita afferere velimus. Quod esset vocabulis,
eorumque diversa significatione ludere magis, quam vere,
ut *JCrumæque ac Politicum* decet, philosophari.

§. 13.

Idem de Isaaci & Jacobi jure & peregrinatione sen-
tit *Houtuynus noster*. Et merito quidem. Nam neque
Isaacus unicus Abrahami filius tot desideriis expeti-
tus, tot promissionibus tanquam pater celebris
magnæque posteritatis ostentatus, regnum habuit
aut regis titulo proprio claruit. Neque Jacobus solenni
benedictione ac veluti testamentaria dispositione jura
primogenituræ adeptus, variisque postea fatis exercitus,
monarcha fuit. De Isaaco quidem proditum est, eum
cum inopia annonæ compulsus in Chananæam ad Abime-
lechum regem Palæstinarum commigrasset, & Deo pecu-
liariter benedicente, opibus multum auctus esset, cum A-
bimelecho, qui ipsius incrementa veritus erat, foedus secu-
ritatis causa pepigisse, *Genes. XXVI*. Quo quidem claro
exemplo Isaacus didicit, Deum ex inimicis facile amicos
efficere posse: Sed regiam ideo potestatem sibi nullam ar-
roga-

6079



rogavit. De Jacobo apud Ægyptios ex Pharaonis benignitate terræ portionem obtinente, fatetur *Houtuynus*, nec terræ istius proprietatem, dominium, territorium aut jurisdictionem, sed habitationem nudam cum jure incolatus & pascendi pectoris habuisse: & quidem mero ex Regis indultu, & ad arbitrium revocabili. Ubi tamen cum sui juris non fuerit, non latis capio, ut autonomias jure, quod *JCtus* hic asserit, gaudere in Ægypto potuerit. Sane qui alterius imperio & gratiæ obnoxius est, autonomia uti nequit. Nisi quem simul imperantem & parentem dicere velis. Quod æque paradoxum censemus, ac statuerè cum *Houtuyno p. 5.* Pharaonem jure majestatis suo nixum, potuisse populum Israeliticum cohibere, ne gregatim cum spoliis à Deo adjudicatis, Ægypto egrederetur, etsi populus exeundi mandatum à Deo acceperat, cui obsequi magis, quam regi interdicens, (quod ipse concedit) tenebatur. Omnino enim pugnant hæc, ut non obedire regi sit licitum, & obedire regi illicitum; punitio tamen obsequii ob interdictum divinum denegati, sit licita. Certe, si jus regium humanum divino juri cedere semper debet; non video, quo jure Pharaon populum Ebræum discedere volentem persequi, reducere, in servitutem vindicare & punire poterit. Nisi & credere velimus, Pontificem Judæorum *Actor. V, 28. 29.* potuisse jure Apostolos prohibere, ne prædicarent Evangelium à Deo ipsis demandatum, & recusantes parere, juste accusare & punire. Quod, quid aliud est, quam rem simul justam & injustam dicere? aut imperium & jus divinum, cum Imperio & jure humano committere, regumque Deo obnitentium vel *ἑομαχῶσαν* jussa adprobare. Confer *H. Grot. L. II. de J. B. & P. c. XXVI.*

§. 14.

Progrediamur ad *cap. II. Houtuyni*, quo *Mosè* re-

B 3

gem

gem facit, hocque titulo regnum aut monarchiam tenuisse, prolixius adstruere laborat. Nam & populum Hebræum, post egressum ex Ægypto, civitatem ut gentem ab omni subjectione liberam constituisse sibi, & Mosen regem, qui *majestate visibili & corporali præesset, habuisse*: eodemque jure *territorium proprium sibi, cultoribus vacuum, vel quasi, ab hoste comparasse*, argumentis non adeo absurdis confirmare nititur.

§. 15.

Si illa in classes quasi describamus; *Unum* a submissione populi Mosi facta, *Exod. XX. 19. Deut. V. 33. Alterum* a regis titulo, Mosi *Deut. XXXIII. 4. 5.* tributo; *tertium* a juribus majestatis a Mose plene, ut putat, & libere usurpatis, desumptum est.

§. 16.

Quod primo submissionem populi attinet, fatemur, Mosen a DEO excitatum heroem, divina virtute auspicioque fretum, ac miraculorum præterea edendorum dono instructum postulasse a Pharaone, dimitti Israëlitas ex servitute & terra Ægyptiorum, populumque tyrannica dominatione hæctenus afflictum, Mosi, cui liberatoris ministerium a DEO delegatum fuerat, libenter se subjecisse, omneque obsequium liberatori tanto promississe: imprimis cum tot providentiæ divinæ singularis in hoc duce deprehendisset documenta certissimaque ejus pignora. Enimvero id nondum efficit Monarchiam vere civilem, qualem in aliis regnis videre licet. Nam quicquid hic divino auspicio gestum fuit, id manifesto Dei jussu singulari, & extra ordinem communem accidit: ita, ut populus Mosi, non tanquam regi *ἀνυπευδύνατος*, sed tanquam duci DEI vicario paruerit: nec alio nomine obsequium, eum postulasse constat. Cum enim
sub

sub annum ætatis LXXX. greges pasceret ad montem Oreb, divina apparitione visa, a DEO præter ordinem dux populi designatus esset, *Exod. III. & IV.* fidem divinæ vocationis miraculis firmavit, iisque patratis, haut dubie divino instinctu, afflicti populi animos sibi devinxit; ut divini delegationem imperii agnoscens obsequio esset promptissimus. Heic nisi θεοκρατικόν τι quis agnoscat, eum parum attente legisse historiam oportet Mosaicam. Cum, quicquid hac in parte Moses gessit, non sine DEI, singulari modo Israël regis, mandato, ope & directione contigerit. Adeoque Mosis solum auspiciis arbitrio & consiliis, aut populi voluntati, nec forma hæc imperii nova, nec ipsi imperium adscribi potest. Populum enim junctis suffragiis DEUM in Regem suum elegisse, cujus imperium Moses administravit tantum, *D. Spencerus lib. 1. de LL. Ebr. Ritual. dissert. de Theocrat. Jud. c. 2. & 3. ex cap. XIX. Exod. prolixius probatum ivit. confer. Clement. Alexandr. Stromat. 1. f. m. 253. seqq.*

§. 17.

Sed cum *secundo* Regis titulum, quo Moses *Deut. XXXIII. 4. 5.* insignitur, urget *Houtuynus noster*, eumque *Seldeni libr. II. de synedr. c. 2. n. 2.* testimonio ulterius firmat: *Erat inqvientis plane Rex, summoque ut Rex imperio gavisus:* Nobis *H. Grotii* interpretatio, quam ipse affert, magis placet: *Rex* ait in notis ad h. l. *non quidem nomine & pompa, sed jure regio populum gubernavit.* Hoc est, si recte mentem *Grotii* capio; distinguit inter Regem solenni pompa ac independenti potestate gaudentem; & inter ducem regio jure & quidem delegato utentem, qui in sacris literis etiam Rex audit. Nam *δικασται* sive *judices Judic. IX. 6. & XVIII. 1.* etiam regis titulo veniunt, cum Romanorum dictatoribus magis, quam Regibus



gibus forent similes v. *H. Grot. not. ad cap. XVII. 9.*
& Houtuyni cap. IV. infrap. 78. Etsi igitur Moses dictato-
 ria quasi potestate polleret, proprie tamen regis nomi-
 ne appellatus non fuit. Quia a DEO delegata potestate
 non licebat suo arbitratu, ut alii reges, uti: In omni-
 bus enim imperii actibus divinum nutum sequi ipsum
 oportebat. Fuit quippe instar proregis, qui ex nutu
 veri regis (hoc loco, DEI) omnia jura regia quidem ex-
 ercere; sed potestate delegata & à superiori ordinanda,
 poterat. Eodem sensu *Philo libr. III. de vit. Mos. p. 527.* Mo-
 sen ἀριστον βασιλέα καὶ νομοθέτην, optimum regem & legisla-
 torem appellavit. Quod ex eo totidem fere verbis repe-
 tiit *Clemens Alexandr. Strom. II.* ἦν ὁ μὲν Μωϋσῆς σοφὸς, βα-
 σιλεὺς, νομοθέτης. *Erat igitur Moses sapiens, rex, legislator.*
Moses enim Rex dictus est, ait doctissimus Anglus *D. Job.*
Spencerus de Legibus Hebr. Ritual. & earum Rationibus lib. I.
Dissert. de Theocratia c. 1. sect. 1. quod summam, post DEUM,
in Israël potestatem exerceret, & ex eo uno penderent omnia.
 Verum nihil inde de DEI jure & autoritate regia detrahe-
 batur, cum Moses non esset rex ἀνυπέυθυνος, sed omnia
 DEI judicio se gerere profiteretur, & nihil tam impense
 desideraret, quam ut sua omnia in summi Regis honorem
 cederent. Et hoc sensu etiam *Menochii de Rep. Hebr. l. 1.*
c. 1. §. 4. sententia admitti potest: qui, antequam LXX. vi-
 rorum collegium svasu Jethronis institueretur, monar-
 chicam imperii formam obtinuisse, scribit. At, cum post-
 ea monarchiæ aristocratiam fuisse mixtam addit, in poli-
 ticæ doctrinæ scita impingit. Nam Synedrium illud cum
 Mose divisum tenuisse imperium, ex historia S. probari
 nequit. v. *Houtuyni cap. II. §. 13.*

§. 18.

Hæc causa est, cur Moses, & post eum Judices omnes,
 ante

ante Saulem & reges institutos, pompam & insignia regia potestatis usurpare declinaverunt. Nec enim satellitum & ministrorum aulicorum comitatu, regio more stipabantur, nec tributa aut vectigalia ad regiam dignitatem sustentandam necessaria exigebant; nec equos cum servorum & ancillarum caterva alebant; nec domos eburneas apparatus regio instructas habebant, aut corona, regibus insigni proprio, conspicui erant; nec *regis* sed *judicis* titulo appellabantur; certo indicio, se non tam imperandi, quam juxta legis præscriptæ normam judicandi, & sententias a DEO latas exsequendi potestatem habere. Id, quod ex populi regem, qui vicinorum regum more, omnia pro arbitratu suo moderaretur, postulantis desiderio *1. Sam. IIX. 5. & 7.* constare potest. Confer *D. Spenceri Dissert. cit. c. 1. sect. II.* Atque hoc *Grotius* etiam voluit, cum Moſen non nomine & pompa regem appellatum fuisse, sed jure regio populum gubernasse, scribit.

§. 19.

πρωτον ergo hic ψευδος Houtuyni nostri prænotandum venit, quo θεοκρατίαν, quam *Josephus*, & post eum multi alii doctores veteres & novi recte statuerunt, convellere molitur. Nam laudatus modo Hebræorum scriptor, cum *Antiqvit. Judaic. IV. 8.* asseruisset, DEUM fuisse populi ἡγεμόνα gubernatorem; duces vero ejus ὑποστρατηγὸς πρῶτον vicarios vel legatos imperatores, *libr. II. contra Apionem fol. m. 1071.* scribit; ὅτι καὶ ἀπειροὶ μὲν αἱ καὶ μέγας τὰ ἔθνων καὶ τὰ νόμων ὡς τὰ τοῖς ἀπασιν ἀνθρώποις διαφοραί. Οἱ μὲν γὰρ μοναρχίαις, οἱ δὲ τοῖς ὀλίγων δυνατείαις, ἄλλοι δὲ τοῖς πλήθεσιν ἐπέτευσαν τὴν ἐξουσίαν τῶν πολιτῶν. ὁ δὲ ἡμέτερος νομοθέτης εἰς μὲν ἰσταν ἔδοξεν ἀπεῖδεν, ὡς εἰ ἂν τις εἰποι βιασάμενος τὸ ὀλίγον, θεοκρατίαν ἀπέπειν τὸ πολίτευμα, θεῶ

Θεῶ μᾶλλον μόνω ἢ δὲ χὼ καὶ τὸ κρείττον ἀναθεῖς h.e. innu-
mere sunt particulatim gentium & morum apud omnes ho-
mines differentia: alii siquidem monarchiis, alii Oligarchiis,
alii vero democratiis, reipublicæ potestatem commiserunt. No-
ster autem legislator, nil horum intendens politicam nostram
θεοκρατίαν (divinum Imperium) declaravit, DEO præcipue
principatum assignans & potentiam. Ex quo Mosem & Ju-
dices, hac imperii forma constituta, vicariam solum pote-
statem, non arbitrariam ut reges proprie dictos habuisse,
oppido constat. Quare DEUS etiam jure suo solenni
ut Rex Israël, jura regia vel majestatis inter Hebræos ex-
ercuit ipse, Mosis ceu ducis ministerio usus. Quod infra
pluribus declarari potest. Hujus rei causam fuisse *Spencerus*
l. c. putat, ut DEUS hoc medio extraordinario populum ad
idololatriam proclivem facilius cohiberet. Quemad-
modum & observat, quo tempore judices populum rexe-
runt, nullum clarioris notæ virum ad idola descivisse. A-
lias adhuc causas *Dissert. citat. c. 3.* annotavit, quæ certiores
esse videntur.

§. 20.

Nempe imperium hoc θεοκρατικὸν primò ad reipu-
blicæ tranquillitatem conservandam maxime accommo-
datum fuit: dum enim DEUS sibi uni potestatem regiam
in hac gente reservasset, litibus illis obviam itum est, quæ
circa principatum oriri poterant. Deinde hæc reipub. for-
ma gentis Hebrææ genio & indoli consentanea videbatur;
quippe cui servili imperio advescere grave erat. Theocra-
tia vero durante, imperium populi legibus ingenio aptis
temperabatur, ut dicente *Josepb. l. IV. c. 8. Ant. Jud. ἵσως νό-
μος ἔχειν δεσπότας, leges tanquam dominos habere, videretur.*
Qualem Reip. formam & *Aristoteles Polit. III. 16. & IV. 4.*
dilaudat. Præterea observatur, securitatem hoc genus
regi-

regiminis præstitisse; cum enim legum sanctio, bellorum
indictio, magistratum institutio, non nisi DEO jubente
aut annuente fieri possent; nil erat quod securitati suæ
aut saluti metuerent Israëlita. Tandem & mite atque
benignum fuit regimen; cum nulla dominandi libidine
bellum susciperetur; populus nullis tributis attereretur;
justitia sine mora & partium studio, à viris pietate conspi-
cuis administraretur. Quapropter & Moses moriturus,
hanc reipublicæ formam apud *Josepb. loco all.* commenda-
vit. Nec gentilibus absurda videri poterat, cum Scholi-
astes *Aristophanis ad Nub. init. f. 122.* (ὦ Ζεῦ βασιλεῦ) innu-
at, similem Theocratiam, & Gentiles optasse: ὅτι δὲ γῶς
χρὴ ἔστο νομίζειν ἢ ποιητῶν εἰρηκέναι. ἔχει γὰρ ἰστορίας ἑαυτῆς.
Τοῖς Ἀθηναίοις πυθοχρησίας ἐγένετο καταλύσαι μὲν τὰς βασιλείας,
προσθήσασθαι δὲ Δία βασιλέα. *h. e. non putandum est, Poëtam
hoc gratis dixisse: historia enim talis habetur: Apud Atheni-
enses, Apollinis oraculi monitu factum est, ut ipsi reges suos exi-
gerent, & Jovem regem constituerent.*

§. 21.

Res hic clarius patebit, si & *tertio* præcipuum ar-
gumentorum *Houtuyni* vim discutere instituerimus. Illa
in partibus summi Imperii, seu juribus majestatis, quæ
Mosi tribuit, consistit. Nam potestatem legislativam,
jus circa sacra, jus judiciorum, jus magistratum insti-
tuendorum & jurisdictionem exercendi, jus belligeren-
di, jus legatos mittendi, Mosi vindicat. Tandemque in
universum, omnem imperii curam, quod ad profanas
causas, etiam sacras, ordinem, cognitionem rei judica-
tæ, auctoritatem & avocationis jus attinet, Mosi adju-
dicat.

§. 22.

Enimvero, si quod præcipuum in hac controversia

C 2

mo-



momentum est, probaverimus, Mosen has imperii partes non propria autoritate regia, sed vicaria & delegata potestate, accedente semper DEI jussu immediato, aut approbatione singulari, implevisse, tota argumentorum moles concidet. Quod enim (1) potestatem legislatoriam attinet, quam *Houtuynus noster* pag. 22. Mofi assignat, ut certissimum summi Imperii characterem; probandum fuerat, Mosen leges tam civiles quam sacras propria & *αὐτοκρατορική* autoritate, more aliorum regum tulisse. Sane quicquid hic testimoniorum allegatur, tantum evincit, Mosen quasi Cancellarii divini munus obivisse, qui leges a DEO datas promulgavit, & ut observarentur, curam gessit. *Exod. XXXV. 32.* Nam controversias graviores circa res sacras aut civiles exortas, non suo arbitrio; sed responsis ex oraculo datis determinavit, *vid. Exod. XVIII. 19. Num. VII. 89.* DEUS in causa filiarum Zelophehad sententiam tulit, & hereditatum jura definivit, *Num. XXVII. 7. 8. 9.* Falsum enim est, quod *Houtuynus* pag. 23. ait: *Leges omnes, quas ferendas DEUS in Exodo & Levitico dictaverat, Mosen in Deuteronomio Cap. XII. LEGES SUAS tulisse, ut INSTITUTA SUA annuntiasset.* Cur autoritatem legum *c. XII. 28.* a placito divino arcesseret, si suæ fuissent leges? Nempe repetit divina autoritate leges jam latas & ut observarentur, sedulo inculcat. Legislator ergo *αὐτοκρατορικός* nuspiam appellatus fuit. *Loca p. 24.* à *Houtuyno* adducta de eo nihil memorant. Nec est, quod Mosen p. 16. hac in parte comparat Regi, aut alii principi, qui per leges naturales & divinas positivas edoctus, cuncta disponit, atque additis novis legibus ordinat. Nam Mose non suo arbitratu, ut principes, sed ex nutu & jussu immediato DEI leges, ut tulerat, ita executioni, ut

ut mandarentur, operam dedit. Quapropter, paria principibus & ceteris Regibus heic fecisse eum dici nequit. Quæ ex *Philonis libro II. de vita Mosis* allegantur, per figuram eodem sensu, ut divinæ historiæ sua constet autoritas exponenda sunt. Leges igitur sancienti potestas semper mansit apud DEUM: & ad solius ejusdem arbitrium judiciumque summa rerum & consiliorum omnium rediit.

§. 23.

(2) *Jus circa sacra*, quæ legibus ritualibus potissimum determinabantur, Mosis non ut regi, sed ministro DEIque vicario competiisse, nec proprio nutu ipsum heic quicquam ordinasse, ex historia Exodi & Levitici adeo manifestum est, ut mirer, virum eruditum, hanc potestatem Mosis p. 17. adscripsisse in solidum. Sane quicquid a Mose in ordinando cultu divino gestum, id ex præcepto divino factum esse constat, Mose ministerium solum commodante suum. Agnovit hoc *Philo L. III. de vita Mosis*, quem heic p. 18. Ictus noster citat: *Placuit tabernaculum erigi cujus apparatus ex oraculis in monte Moses didicerat, futuri ædificii contemplatus ideas incorporeas, ad quarum exemplar intelligibile oportebat designari sensibiles imagines: decebat enim sacrum apparatus fieri ex veri pontificis arbitrio.* Modum ordinandi structuram tabernaculi & ministros, qui in illo servirent DEO, *D. Speecerus dissert. cit. c. V.* exponit, in quo tamen quæ profanam viri hypothesein redolent, Theologis examinanda relinquimus. Nec quæ de functione sacerdotali Mosis p. 10. seqq: *Houtuynus* affert, heic discuti necesse est; cum ad regiam dignitatem ipsa sacrorum functio, per legem Mosaicam, non pertineat. *Quod Hug. Grot. de Imperio summar. Potestat. circa sacra*
cap.

cap. 11. §. 5. probat. Nam licet jure naturali concessum sit, habere summum Imperium & sacerdotium gerere; DEUS tamen munia hæc, quæ ab uno, per mores hominum, non bene obiri possunt, distinxit; ut Aaroni & successoribus ejus Sacerdotium deferretur, Mosi civili imperio relicto. Falsum enim est Mosen partes officii sacerdotalis proprias, constituto ordine sacerdotali, obivisse. Externam curam, quæ imperantes decet, non neglexisse illum historiæ documenta probant, quæ *Houtuynus cap. 2. §. 4. 5. & 8. allegavit. Confer. D. Spenceri Dissert. cit. c. V. sect. 1.*

§. 24.

(3) *Jus magistratum & judicum creandorum*, quod inter jura majestatis est, *Mosi cap. 2. §. 9. p. 28. & 29. Houtuynus noster recte vindicat.* Sed in eo fallit, quod sua autoritate, sua potestate, aut independenter Mosen ut reges *α. υπερθευ. 85*, constituisse illos existimat. Mosen sane autoritate a DEO concessa & opera vicaria elegisse judices; partim ex iis, quæ de *θεοκρατία* jam annotavimus, liquet; partim ex *Num. IX. 16. & Deuteron. XVII. 8. 9. 10. 11.* probari potest. Quo posteriori loco sacerdotes super causis tum civilibus tum criminalibus consuli jubentur: haut dubie non aliam ob causam, quam quod illi ex DEI responso, a quo immediata illorum judicandi potestas, litem dirimere possent. Hinc *Josephus contra Apion. l. II. p. 1073.* statum Judaicæ reipubl. commendat: *quæ poterit esse melior atque justior (respublica) quam ea, quæ DEUM quidem principem omnium esse confirmat? Sacerdotibus autem in communi quidem res præcipuas dispensare permittit, summo vero Pontifici aliorum sacerdotum principatum competenter injungit.* Atque hinc verisimile est, judices illos & magistratus a Mose lectos DEI spiritu

spiritu afflatos fuisse, ut ad ejus legem & voluntatem totam judiciorum rationem attemperarent. Unde simul apparet, jurisdictionem, quam *Houtuynus noster* §. 8. 9. p. 25. 25. 27. & §. 13. p. 40. Mosi vindicat, ab ipso quidem administratam fuisse; sed ex nutu supremi regis Israël, cujus ille vices gerebat. Nam etsi potestas administrandæ justitiæ formaliter & primo in majestate est; per participationem tamen in supremo ministro & magistratibus a summa potestate, seu mediate, seu immediate constitutis esse, *Houtuynus* negare nequit. Etenim *Num. XI. 16. 24. 25.* diserte legitur, Mosén jussu divino septuaginta seniores constituisse populi præfectos, qui magistratus obirent munus, cum absq; adminiculis regere populum nullus administrator queat. Hanc obstantem assertioni suæ relationem, cum viderit *Houtuynus* §. 13. p. 36. & 37. illam elidi posse, arbitratur; si dicat, non fuisse legem præceptivam, cum solus administrare imperium, si libuisset, potuisset: DEUM suasisse & consilium quasi supeditasse, non præcepisse Mosi, ut synedrium institueret. Enimvero id contra verba clarissima, quæ præceptum continent, Autor verius fingit, quam probat. Nam etsi illi ministri lecti, à DEO non fuerunt expresso nomine designati; quis tamen inde colligat institutionem à DEO non fuisse mandatam, aut illos singulari divina directione, à Mose non fuisse constitutos; cum donis peculiaris sapientiæ à DEO instructos fuisse legamus. Cætera quæ de institutione Synedrii adfert, p. 39. & seqq. veritati jam assertæ nihil derogant. Quia omnia illa falsæ hypothese, quam jam destructum ivimus, applicat. A Mose enim senatum institutum dependisse largior: sed non ut à Rege *ἀντιβασιλευς*; verum ut Rege vicario, quem alterius nutum & imperium seqvi oportuit.

§. 25. Jus



Jus belli suscipiendi gerendique & pacem faciendi ad majestatem pertinere in confesso est, & Houtuynus noster §. 11. p. 32. seqq. id Mosen habuisse atque exercuisse, cum ex historia divina tum Josephi recte adstruit. Bellum, ait, Moses in deserto statim adversus Amalekitas per Josuam gessit. Deinde exercitum per castra numerum servans tribuum, sub principibus singula distribuit: Stationes, metationes singulis assignans. Legibus rite digestis, inquit Josephus, Antiquitat. lib. III. c. 11. ad rei militaris curam animum advertit, de bellis jam tum cogitans. Prælium cum Ammonitarum Regibus Sichon, rege Hesebon & Och, rege Basan commisit: Aciem adversus septem populos Canaan parat: cuncta in acie ordinat: castra metatur: limites definit quousque procederet miles; congregatur, vincit, prædamque & universam terram Canaan tribubus singulis possidendam dissipatur. Hæc ex vero Houtuynus commemoravit. Recte etiam p. 33. animadvertit, bella hæc DEI fuisse: quia lege & jussu Numinis indicta, distincta ab iis, quæ sponte ab Hebræis ad proferendos fines & amplificandam imperii gloriam suscepta: quæ regni bella dicuntur. Grot. Annot. ad 1. Reg. XVII. 47. & XXV. 28. Schick. de jur. Hebr. reg. c. 5. Theor. 16. 17. Cunaus de Republ. Hebr. lib. 2. c. 19. Seld. de jur. N. & G. lib. VI. c. 12. & de Synedr. Hebr. L. III. c. 12. Sed quod Houtuynus comminiscitur, hanc appellationem non derogare majestati Mosis, quo minus belli jus illi, ut alii Regi ἀντιπροσώπων adscribi queat, frustra dicitur. Nam quod de judicio & legibus addit, illa dici, DEI esse, etsi a regibus ordinentur, huc non quadrat. Quia judicia & leges secundum jus naturæ constitutæ aut latæ, DEI dicuntur, non immediate, aut quasi peculiari divino oraculo vel responso præscriptæ forent; sed mediate, quod

per

per dictamen rectæ rationis a DEO hominibus concessæ,
intelligentur, ad vitam socialem conservandam neces-
saria esse: adeoque ut obsequium legibus naturæ, qua-
rum autor DEUS est, præstetur, leges & judicia princi-
pum, DEI appellari quoque possunt. Enimvero *bella*
DEI, peculiari ratione dici, in doles phraseos, tum re-
latio bellorum, quæ DEI nutu & jussu singulari legun-
tur gesta, evincunt. Moses enim imperatoris solum
munus obivit; DEUS vero Dominus exercituum supre-
mus rex fuit, quo jubente, Moses bellavit & prælio con-
certavit. Confer, quæ *D. Spencerus Dissert. cit. c. 1. Sect. 2.*
& cap. V. sect. 3. hanc in rem affert. cuius tamen scita
omnia, cum profanam hypothesin quædam sapiant, ad-
probare nolim.

§. 26.

Pergit *Houtuynus*, ac *jus mittendi legatos*, quod non
nisi habentibus majestatem competit, Mosi tribuit, §. 12.
p. 35. Miserat enim nuntios, ad regem Edomæorum, &
innoxium per terram suam transitum rogavit. *Num. XX.*
14. 15. seqq. Miserat ejus rei gratia etiam legatos ad Si-
chonem regem Emoræorum *Num. XXI. 21. 22.* Verum ex
jure delegato, ut belli duces non raro solent, eum hoc
fecisse, ex supra dictis jam constare potest. Deinde
quod addit de fecialibus, quos Mosem quoque misisse
ait; *Deuteron. XX. 10. 11. 12. 13.* diserte dicitur, ex DEI hoc
mandato factum esse; quippe qui modum denuntiandi
prius pacem, quam bello expugnetur civitas, præscripsit.
Exploratores autem mittere, qui hostium inquirant sta-
tum, non esse summi imperii actum, ut *Houtuynus* qui-
dem noster vult, puto, ex quotidiana constare experien-
tia. Quis enim ignorat, id belli ducibus & præfectis etiam
licere, cum mandato jam instructi, hostiū vires explorare
satagunt? Et, si duces, quod ipse concedit, id ex jure

D

com



commisso exercent, apparet actum summi Imperii non arguere ipsum jus summi Imperii, quod ipse in præfatione libelli sui, sollicite distinguendum censet.

§. 27.

Tandem in summam collectis, quæ de juribus majestatis, eorumque exercitio hætenus differuerat *Cl. Houtuy- nus* §. 13. p. 48. concludit, *majestatem plenissimam in Mose cernendam esse; quæ sancta fuisset velut mons ille Sinai, cujus ne partes infimas attingere alii datum sit.* Bertrami de *Rep. Hebr. c. 7.* & aliorum quoque duplicem errorem notat, quod politiam ecclesiasticam a civili distinxerint: & in deserto sub Mose imperium Lacedæmonum compararint statui, ita, ut *regia* quodammodo potestas in Mose, *aristocratica* in senatu, & *democratica* in populo fuisset. Enimvero ut Bertrami & aliorum hac in parte sententiam, qui mixtam reipublicæ formam commenti sunt, nostram facere nolumus; ita nec *Houtuynus* Mosen regem & monarcham ἀντιέ- θυρον, & qui pro lubitu, instar aliorum regum imperare potuisset liberrime, statuenti assentiri non possumus. Jure eum regio populum gubernasse admittimus, sed non absoluto & independente; verum vicario & delegato imperio, ut hætenus demonstratum est.

§. 28.

Viso Mosis imperio, regio quidem simili, sed non æquali per omnia; *Houtuynus noster*, ad Josuæ post Mosen, DEI voce ad principatum evecti historiam progreditur, probaturus, & hunc pleno & absoluto cum imperio Israelitis præfuisse. Argumentis in hanc rem similibus, ut in Mosis imperio stabiliendo, utitur. Nempe Josuæ vocationem divinam, subjectionem populi, & exercitium jurium summi imperii, quod heros ille divinus usurpavit, potissimum urget; ut regem vel principem ἀντιέθυρον fuisse ipsum probet. Enimvero in isthac probatione desideratur

tur

tur adhuc, quod in hac quaestione praecipuum est; an scilicet Josua summum civile imperium eo modo, quo alii reges habent, acceperit; ita ut non fuerit in partibus imperii exercendis obstrictus, alterius (DEI nempe) jussu, nutu & arbitrio rem genere. Certe DEUS Josuam non solum *Num. XXVII.* designavit Proregem, reservato sibi summo in gentem hanc imperii civilis jure; sed Josua suscepto sic DEO volente, populoq; consentiente imperio, *Jos. I.* jura imperii ex DEI mandato, non suo aut populi arbitrio usurpavit. Sic divino auspicio animatus, Cananæis bella intulit, ceu *Houtuynus cap. 3. §. 3. describit*: ut Israelitæ urbem Hajum per insidias interciperent, DEUS autor consilii fuit. *Jos. VIII. 2.* Et cum sex totis annis, maxima promissæ terræ pars Ebræorum possessioni cessisset, ut ex *Jos. XIV. 10.* colligitur, sorte ducta, ex divino judicio immediato, inter tribus terræ portiones divisit. *Jos. XVIII. 6.* Asyla & urbes refugii juxta legem divinam *Exod. XXI. Num. XXXV. 11. Deut. XIX. 2.* ordinavit. confer celeberrimi Viri, *D. Zentgrassii nostri Josuam principem Hebræorum caractere politico expressum §. V. p. 6. 7.* Quæ ad potestatem legislativam & jurisdictionem pertinent tam sacram quam civilem, non nisi juxta legem a DEO per Mosen latam, aut ex mandato divino illum administrasse, *Houtuynus cap. cit. §. 4.* docet. Hanc enim imperandi normam DEUS Josuæ *cap. 1. §. 8.* præscripserat: *Ne recedat liber legis ab ore tuo, sed meditare in eo, noctu & interdiu, ut serves cuncta, quæ scripta sunt in eo.* Quæ cum observaret, magnum ubiqve Josuæ nomen; magnusqve ac multa DEI ope miraculosa firmatus successus fuit, confer *Josephi L. V. antiqvit. c. 1.* Josuæ res gestas ideo Herculi suo tribuisse Phœnices, doctissimus *Vossius Theolog. Gent. I. 29.* existimat.

§. 29.

Recte vero *Thomam Hobbium* hic notat, quod in *Leviath.* suo cap. XL. & de *Civ. cap. XVI.* post Moſen, imperium ſummo Pontifici Eleaſaro tribuit. Quia Iſraëlitarum regnum fuiſſet ſacerdotale appellatum, & Eleaſaro *Num. XXVII. 18. 19. 20. 21.* poteſtas imperandi a DEO fuiſſet commiſſa. Ex quo illum perperam colligere, Eleaſaro imperiū datum eſſe, præter *Houtuynum Cl. Spenceriſ Differt. cit. cap. 2. § 4.* tradunt; exponentes alio ſenſu regnum illud ſacerdotale dictum, & quod Joſua ſummum Pontificem propter officii rationem, conſulere tantum debuerit. Certe ſi penes Eleaſarum ſumma poteſtas fuiſſet, etiam ejus jura exercere, aut adminiſtrare debuiffet. Quod ſecus factum, hiſtoria Joſuæ teſtatur. Moſe enim mortuo, ſumma rerum a DEO ſupremo diribitore, Joſuæ filio Nave conceſſa fuit, quam & egregie adminiſtravit.

§. 30.

Sed poſt exceſſum Joſuæ, an imperii forma mutata ſit, diſquirendum porro eſt. *Houtuynus c. IV.* intervallum, quod inter hunc & Othnielem intercedit, diſcernendum putat à ſubſequentium Judicum temporibus. Nam exiſtimat illo temporis intervallo, ante Othnielem, ſingulas tribus cum ſummo fuiſſe imperio; quippe quæ, ut territoriis diſtinctæ fuerunt, ita deficiente principe, commune jus imperii ſingulis tribubus fuiſſe diſtinctum. Quam in rem *H. Grotii* verba ex annotatis, in hanc hiſtoriam adfert: *Ubi tales extra ordinem viros DEUS non exciſcit, erat diſſolutum rei publ. corpus, nec quicquam in commune agebatur. Tribus ſingule ſuas res ſuo periculo ac commodo agebant, niſi ſi quæ ex uſu temporum, fædus inter ſe fecerant.* Hiſ ſubjungit *Houtuynus*: *ſed & ipſa fæderis ſanctio jus ſingulis ſummum probat. In fædere fuiſſe communi ad opus DEI perficiendum nihil dubito. Sic & judicium fuiſſe commune. Neque vero hoc inſolens,*

ut plures distinctis territoriis principes summi, iudicio communi utantur; maxime cum precipiente DEO id institutum esset. Ex quibus verbis colligere licet, *Hortuynum* in populo Israelis, dicto tempore statuere quasi systema civitatum; quia plures uno distincti status vinculo seu foedere aliquo connexi fuissent. Sed ab Othniele postea per Judicum seriem, usque ad Saulem, obtinuisse veram monarchiam, nobis sic nondum persuasit. Etsi *cap. IV. §. 4. p. 83.* concludat his verbis: *Manet itaque, ut quod Josua, idem iudicibus jus singulis solis summum demus.* Obstat enim supra à nobis allata monarchiæ definitio, &, qui talem revera arguant, characteres. Judicum enim quos monarchas, cum *Josepho Antiq. l. II. c. 4.* vocat, potestas nec fuit *ἀνωπεύδου*, nec perpetua, sed temporaria & delegata. Hinc recte *Cunæus de Republ. Hebr. l. I. c. 12.* *Josuam pari potestate secuti, qui præeundo edicendoque prætores dici, dictatoresque poterant; etsi in sacris annalibus iudices appellentur, ratione haut multum diversa. At Flavius monarchas vocavit. Quod nomen etiam Syllæ, Cinne, Marioque & aliis dictatoribus Romanis Græci dedere.* Ac licet his cœlesti iudicio excitatis iudicibus citra senatum, iudicandi jus esset, ut apparet *Judic. VIII.* tamen illud fuisse perpetuum, ut in regno, nullo inde testimonio probari potest.

§. 31.

Igitur ut formam & statum Israelitarum, qui iudicum tempore fuit, penitus videamus; non placet nobis *Menchii* sententia, qui de *Rep. Hebr. l. I. c. 1. §. 5.* ex monarchia & aristocratia eum mixtum fuisse arbitratur. Quia iudex qui appellabatur, ipso dicente, *nihil fere publicum suo ipsius arbitrio ac voluntate agere, nisi forte in rebus bellicis, cum subita urgensque necessitas ita postularet, statuere poterat; sed omnia e seniorum consilio, synedriique suffragio ad eum modum dependebant, qui nunc in Geneta (Genevensi) Genu-*
D 3 *ensique*

ensiqve Republica a consilii calculo pendere videmus. At vero omnibus constat, in utraqve jam nominata Republica, nihil formæ monarchicæ deprehendi. Nec ullo certo testimonio evinci potest, judicum tempore fuisse communem senatum, ut Genevæ aut Genuæ institutum, penes quem rerum summa esset. Ubi ergo jura imperii inter senatum & principem, vel hoc loco, judicem non sunt divisa, ibi nec status ex Monarchia & Aristocratia mixtus extare potest.

§. 32.

*Carolus Sigonius de Rep. Hebræorum lib. 1. c. 5. sub Mose, Josua, senioribus & judicibus aristocraticum fuisse statum, existimavit. Quam sententiam Besoldus Discurs. Polit. de Aristocrat. sequitur. Enimvero cum ex historia S. constet, jura majestatis in gente Ebræa, isth. oc temporis intervallo non fuisse penes Optimates; adparet hinc etiam non posse proprie Aristocratiam dici. Quod de Mosis & Josuæ imperio jam satis probatum fuisse puto. Insequenti vero judicum tempestate, seniores vel synedrium constituisse senatum, qualis in Aristocratia esse solet, vero certe congruere non videtur. Ubi enim legitur, illud, jus summi imperii civili modo exercuisse? Si enim, ut Sigonius loquitur, *judicibus rerum potentibus principatus ab illis administratus, & lex (DEI) ut ante valuit, & DEUS ipse imperium tenuit*; potius *ἡγεμονία*, quam Aristocratia fuerit. Nam ubi *ἀριστοί* non tenent imperium, nec Aristocratia obtinere potest. *Josephus Libr. IV. Antiqu. c. 8.* cum Mosen introducit Israelitas alloquentem & Aristocratiam commendantem, grammatico non politico sensu vocabulum *ἀριστοκρατία* hic accepisse liquet, tum ex loco à Sigonio, sed non integre prolato; addit enim ibidem: *ἀρχὴν γὰρ ὁ θεὸς ἡγεμονίαν εἶναι. Satis enim est, habere DEUM gubernatorem*; tum ex *lib. 2. contra Apionem*, ubi diserte *ἡγεμονία* vocat.*

§. 33.

§. 33.

Aliqui malunt *Democratiam* vocare; sed quæ sæpe indueret faciem similem illi regno, quod *Aristoteli Polit. III. 14.* heroicum dicitur. Enimvero cum seniorum & synedriorum potestas simul obtineret, non potest veræ *Democratia* locus fuisse; licet populi in rebus majoris momenti, ut belli negotiis, consensus requireretur. Nec tamen ideo cum *Cl. Houtuyno* monarchiam fuisse, statuendum erit. Judices enim divino plerique instinctu acti, cum oppressos ab hoste populos vindicassent, suadendi magis autoritate, quam jubendi potestate populo præfuerunt, in pace jus dicentes, sed non *αὐτοκρατορῶν*. Hinc & Gideon oblatam sibi a populo potestatem regiam deprecatus est, *θεοκρατίαν* esse debere, diserte dicens. Postea dixerunt Israelitæ singuli Gideoni: *dominium habe in nos, tum tu, tum filius tuus, tum nepos tuus, quia servasti nos e manu Midianitarum.* Sed dixit eis Gideon, *non habebo ego dominium in vos, neq; filius meus habebit dominium in vos. Jehova habiturus est dominium in vos, Judic. II. 22. 23.* Et quanquam Abimelecus postea sibi diadema regium imponi pateretur; tamen cum hoc sine DEI nutu & contra *θεοκρατίας* jam constitutæ rationem fecisset, potestas regia illa affectata non fuit diuturna. v. *Judic. IX.* Equidem interjecto aliquo tempore, sublato jam Simsone *Jud. XVII. 6.* dicitur: *Temporibus illis non erat rex in Israele: quisque quod rectum videbatur in oculis suis faciebat.* Verum Regis titulum ibi phrasi in S. literis usitata, pro judice aut gubernatore populi vicario accipi, ex historia illorum temporum & status publici ratione liquet.

§. 34.

Ut ergo in compendium dicenda hic redigamus; *formam* regiminis judicum tempore, fuisse *theocraticam* magis arbitramur, quam, quod *Houtuynus* noster contendit, monarchiam civilem; ita ut nulla ab Aristotele descripta reipublicæ forma recta aut regularis hic applicari queat. DEO enim summa jura imperii reservata sunt, ut Regiæ alias summo civili. Quia ille ad Saulis tempora, aut cœlesti aliquo iudicio, aut immediato spiritus sui impulsu, aut factis humanam spem excedentibus monstravit, quos duces aut principes vicarios populi sui vellet: Fœdera nulla cum gentibus vicinis ineunda, nisi licentiam prius à Domino impetrassent: *Jos. IX. 14. 16. Jud. I. 1.* Bella absque DEI consilio suscipere non licebat, *Jud. XX. 18. 28.* leges novas

AK
TT 112

vas sancienti potestas iudicibus non permiffa. Summum rerum,
iudicium apud DEUM erat. Et, si quando defuit iudex à DEO ex-
citatus, populi tribuumque seniores, juxta legum divinarum præ-
scriptam normam, aut oracula & responsa DEI, per Sacerdotem sum-
mum edita, jus dixisse, vero utique simile est. Hinc *Theodoretus* in
1. *Sam.* scribit: ὁ δεσπότης Θεός, καὶ θεὸς καὶ βασιλέως ἐπλήρης τῆς
δουλείας. ὁ δὲ προφήτης ὑπεργός ἦν, οἷόν τις ὑπαρχὸν ἢ στρατηγός,
ἢ δημαγωγός. Dominus DEUS, & DEI & Regis implebat munus. Pro-
pheta vero (Samuel) erat minister, & veluti quidam prefectus, aut ma-
gister militum, aut tribunus plebis.

§. 35.

Populus tandem status hujus theocratici pertæsus, cum ad modum
moremque cæterarum gentium, regem, qui externa quoque pom-
pa splenderet & perpetuam militem aleret, aut certe in armis cives
exerceret, ut hostibus ingruentibus statim posset occurri, posceret;
Samuel, ut re adhuc integra, mature deliberaret populus, jus ejus-
modi regis & status regii incommoda ipsi ob oculos ponit, ac
θεοκρατίας rejectæ temeritatem juxta cum κακοζήλῳ populo ex-
probrat. Quam novam status mutationem, viri exquisita eruditio-
ne instructi *Wilhelmus Schickardus*; Venerandus noster *D. J. Bened.*
Carpzovius in *Animadvers.* & not. de hoc jure: *Cunæus* de *Rep. Hebr.*
& recentissime *D. Spencerus* de *LL. Ebr. Ritual.* l. 1. *Dissert. de Theo-*
crat. Jud. c. IV. sect. 2. erudite exposuerunt & illustrarunt. Quorum
scrinia compilare, aut super illa cum *Cl. Houtuyno* prolixius jam di-
sputare, instituti nostri ratio non permittit. DEUS, qui solus hoc
potest, principes & reges Christianos, in quorum manu res Christia-
na est, regat spiritu suo, iisdemque mentem divini humanique
juris intelligentem duit, ut semper cogitent, lectos vel constitutos
se ministros ad regendos homines, quos tam caro pretio rede-
mit, ut transacto fugacis vitæ curriculo, cum ipso
in regno gloriæ æternum viverent.

SOLI DEO GLORIA!

1017

nc

